

*hic sunt gentes siluestres
ydola adorantes*

legem macometi obseruant

*turchi qui xristiani nesto-
rini sunt & eorum legem
& ecclesias habent /*

*isti sunt xristiani &
saraceni
macometani sunt &
xristiani nestorini*

Macometi legem obseruant

Macometi legem obseruant

est in illo loco inuenit inter duos montes planiciem quamdam per quam quoddam flumen elabitur ualde pulcrum sunt in planicie illa pinguiora pascua que in mundo ualeant repeririri in quibus per decem dies pinguis efficitur queque bestia macilenta. ibi habundant siluestria multa & specialiter arietes maximi & illic sunt lupi infiniti qui multos ex illis arietibus comedunt & occidunt uolatilia non sunt ibi propter loci altitudinem & frigus intensem & noueritis quod propter frigoris intensitatem non ita clarus est ignis nec illius coloris ut in alijs locis est. nec aliquid ibi decoqui bene potest. hic nula habitacio est. per dietas ^{14^o} xl inter leuantem & grecum continue per montes. costas & ualles & oportet transeuntes uictualia secum ferre contrata ista belor appellatur. gentes manent in montibus altis quasi disperse adorant ydolla & siluestres sunt de alijs no[n] uiuunt quam de uenationibus bestiarum uestiuntur corijs. & gentes sunt inique /

Carschar regnum fuit set nunc est sub dominio magni canis cuius gentes macometi legem obseruant prouincia magna est & in ea multe ciuitates & castra. quarum cascar est nobilior atque maior habitantes de mercimonijs uiuunt & artibus & specialiter de laborerio bonbicino oritur ibi & linum & canapum terra fertilis est fecundas necessarijs quibuscumque sunt quidem ibi gentes auare & miserre quia male comedunt atque bibunt in terra predicta morantur aliqui turchi qui xpistiani nestorini sunt. & eorum legem & ecclesias habent /

Samarcan est quedam maxima ciuitas & nobilis cuius gentes xpistiane sunt & sarracene/ Jarchan est quedam prouincia cuius longitudo durat per .v. dietas. gentes machometi legem obseruant. & aliqui xpistiani nestorini sunt ibi. copiosi sunt in necesarijs. & pro maiori parte in illa prouincia habitantes. pedem unum habent ualde grosum. reliquum uero subtillem. & optime tamen incedunt. hic non sunt aliqua digna relatu /

Cotran est quedam prouincia & est subdita magno cani gentes ipsius ^{15^o} machometi legem obseruant. in ea sunt multe ciuitates & castra habitantes in ea prouincia vineas habent possessiones & uiridaria multa de mercimonijs uiuunt & artibus & non sunt homines pro armis. /

Pem est quedam prouincia gentes ipsius macometi legem obseruant & magno cani subie[c]te sunt. in ea multe sunt ciuitates & castra. per eam discurrit quoddam flumen in quo lapides inueniuntur multi. qui calcedonij & dyaspis uocantur. habitent in prouincia necessaria queque oritur ibi bombatum. homines uiuunt de artibus & mercimonijs. ipsi uero hunc modum obseruant. nam si mulier uirum habeat & ipsum uirum contingat ad alium locum accedere ultra xx dies mansurum mulier secundum eorum consuetudines statim alium uirum accipere potest si uult/ & homines quocumque uadant similiter uxorantur /